









5  
D. O. M. A.

DISPUTATIO METEOROLOGICA II.

DE

4. 22/0  
8.  
11  
12

METEORIS  
IGNITIS IN GE-  
NERE,

&  
IN SPECIE

DE

IGNE FATVO, ET DRACONE VO-  
LANTE.

*Quam in Almâ cis Albim*

PRÆSIDE

M. SAMUEL POMARIO,  
COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTO,

*Disquisitioni sistit publica*

SAMUEL HENTSCHEL Lesnensis è Maj. Pol.  
Autor & Respondens.

*Habebitur Ad diem 13. Martii In Auditorio Minori.*

Typis JOHANNIS HAKEN, Anno M C D LII.



D. O. M. A. ...  
DISPUTATIO METEOROLOGICA II  
DE ...  
METEORIS  
IGNITIS IN GE-  
NERE

IN SPECIE  
DE  
IGNIFATVO ET DRACONE VO  
LANT

Sum in ...  
PRÆSID  
M. SAMUEL POMARIO  
COLLEGI MEDICINI ADUNTO

Samuel Henrich ...  
Auct. & ...  
Mactin ...  
THE JOHANNES HAREN ... M. C. D. LII







I. N. J.

DISPUTATIO METEOROLOGICA  
DE

Meteoris ignitis in genere  
& in specie de igne fatuo & dracone volante.  
SECTIO PRIOR THEOREMATICA.

Theorema I.

*Meteorum ignitum est quod ex effluvio pingvi ac sulphureo accenso oritur.*

*ἐπιθεσις*  
S.

**N**ominis seposita consideratione rem ipsam aggrediemur. *Materiam* scil. in qua seu subjectum meteororum ignitorum, dicimus effluvia pingvia atq; sulphurea: Quia enim revera ardent & flammam ostendunt, requiruntur etiam ea quae flammam faciunt visibilem & inflammationem promovent. *Ida.* Solum praestare sulphur, adeo ut eoposito ponatur inflammabilitas, remoto vero removeatur eadem, testatur non tantum ejus in concipienda flammâ celeritas, sed rerum etiam inflammabilium copia, quae inflammatae sulphuris praesentiam, vel odore vel alio modo produnt, absentiam flammâ respuendo lugent, sublationem flamma ipsa evanescens monstrat. Ad fumum si qui velint recurrere: negamus eum ullo modo inflammari posse nisi sulphure conitet, cum Excellentissimo Dn. Spértingio in Insti. Phys. p. 902. Admoveant. qui velint ignem fumo, ardentem tamen fumum non videbunt,

A 2

nisi



nisi ei insit sulphur; hoc autem si adfuerit, utiq; ei inflammatio ad scribenda erit, cum fumus sulphure carens, inflammationem potestatem nemini probatam dederit: Sic ligna in cineres resoluta, flammam amplius non concipiunt. Qua de causâ quia πρώτον φλογιστὸν omne exhalavit nec quicquam præter terram sale commistam residuum est Rectè Fromondus Meteorolo 1. p. 34. *Materia meteororum ignitorum pura pura terra esse nequit: mera enim terra arida est, & omnis pinguedinis expers.*

§. 2. *Forma est accidentalis aliqua dispositio, quâ tantummodo inter se differunt. Causa efficiens inflammationis non semper una eademq; est, possunt accendi vel à sole, vel motu vel ocio, vel ab alio quod materiam hanc sulphuream accendere potest. De quibus Infra.*

§. 3. *Finis est Triplex. Habent meteora ignita finem suum, & sicut in aliis ita nec hic frustra quicquam agit natura. 1. Promovent Honorem & laudem Dei. Ut enim in totâ naturâ, ita & hic juvat speculari elucentem Dei potentiam, sapientiam & bonitatem. Potentiam Dei videmus in Fulminibus, quæ licet causas suas habeant naturales, mandato tamen ejus cui tota natura servit, Parent. Ille emittit Fulgura, ipse viam facit coruscationi Fulminum. Sapientiam Creatoris, Ignis Fatui, Dragones volantes, Capræ Saltantes & alia ignita meteora prædicant, Bonitatem, cuncta loquuntur. 2. Hominis Commoditati inserviunt. Aerem enim purgant, tollendo et dissipando venenosos halitus, & hoc pacto incommoda, quæ homini halitibus ejusmodi infecto metuenda forent, prohibent. 3. Pœnas etiam Dei annunciant. Similiter Sterilitates, morbos, mortes, aliasq; mundi securi pœnas non nonquam portentant. Causam dant quidam, quod aqua & Terra abundant tunc fumis, meteororum ignitorum materiâ, & aerem hauriunt homines variè tunc afficiatur & turbetur, & sic minimè commodus haurientibus existat, Michael Neander in suâ Physica p. 26. Verum enim verò, præterquam quod aquæ male accenseantur Fumi, qui ut effluvia calida & sicca sunt, ita è terrâ locisq; aridis extrahuntur, contradistincti hoc ipso vaporibus*



vaporibus, qui effluvia frigida & humida sunt, ac ex aqua locisq; udis educuntur. Fumus etiam iste, ut fumus est, ad effectus illos, producendos minus sufficiens erit; quin potius halitus noxii & effluvia venenata cum fumo conjuncta strages has & clades mortalium generi inferre censemus verius.

Theorema II.

*Estq; multiplex: Ignis Fatuus, Draco Volans, Ignis Lambens, Fulmen, Capra Saltantes, Scintilla Volantes &c.*

*Endeosis.*

§ 1. Non uno tantum modo meteora ignita nobis repræsentant ignem, sed variæ ei imprimuntur Formæ accidentales quibus meteora ignita inter se differunt. Sicut enim propria meteori cujus vis ratio semper in accidente sita est, ita præter ignem hic nihil quam accidentalem aliquam Dispositionem cernimus. Iam videmus facem accensam atq; proflientem in terra & vocamus Helenam si vero duas Castorem & Pollucem in aëre cum videmus majorem ignis cumulum volantem, à figurâ nuncupamus Draconem. Interdum alia atq; alia ratione dispositum ignem cernimus, & aliud atq; aliud nomen obtinet. Qualescunq; a. sint dispositiones, qualia cunq; etiam obtineant nomina, Semper tamen adest ignis nec unquam nova super additur essentia, sed alia atq; alia accidentalis dispositio.

§. 2. Dividunt plerumq; meteora ignita, in infimæ mediæ, & supremæ regionis. In infimâ regione esse dicunt ignem fatuum, ignem lambentem, Draconem volantem, in mediâ Fulmen & lanc eam ardentem. Supremæ assignant Scintillas volantes, Capras saltantes, Stellæ cadentes, Facem & trabem. Verum licet dividi sic aliquo modo possent, fati tamen commodè vagantia ista meteora nequeunt destinato allagari loco, cum certis affixa sedibus non sint, sed facile unum idemq; meteorum nunc in mediâ nunc in infimâ hæ



reat regione. Notum autem est quod dissensus requiratur inter partes bonæ Divisionis. Excell. Dn. D. Scharfius in inst: Log. p. 820. Scheibl. Op. Log. p. 134. Quis a. hic dissensus, si meteorum ignitum infimæ regionis potest fieri meteorum mediæ regionis & contrâ? Unum idemq; meteorum modo ad hanc modo ad aliam partem dividendum referendum erit. Melius igitur Genus in subjectas dividetur species, è quibus in præsens duas saltem speculabimur, ignem puta fatuum & Draconem volantem.

Theorema III.

*Ignis Fatuus est meteorum ignitum candela ardentis & huc illucq; errantis Speciem representans.*

*ἐκθεσις*

§. 1. Erraticam hanc faciem in conspectum nobis dant noctesquam plurimæ, quæ nec ipsæ tamen homines ad frequentiore & accuratiorem ignis fatui considerationem impellere possunt. Ignem fatuum vident multi, veras tamen ejus causas perspectas habent pauci, sed ut assiduitate sua vilescunt multa, ita etiam quo frequentius ignis iste conspectui nostro se se offert, eò minus de causis ejus plurimi sunt solliciti. Ideò Plinius l. 2. c. 37. hunc & similes ignes in naturæ majestate abditos & incertâ ratione oriri dicit. Et de Meteoris in genere Excell: Dominus Sperlingius inquit. *Ad istas nunc delabimur speculationes, in quibus Philosophia ipsa Balbutire videtur.* Fortassis non minima erit causa intermissa, sæpius aut tantummodo superficialis harum rerum consideratio. Sed ad rem.

§. 2. Dicitur ignis quia meteorum hoc ignem verum atq; visibilem pro subjecto habet. Ad sunt siquidem flammæ ardentis propria, qualia sunt flagrare, fumare, sursum tendere, calefacere vel urere, necessario igitur etiam adest ignis verus atq; revera ardens, non apparens, quemadmodum ligna quædam aut alia in tenebris lucent aut ardere videntur; à quâ sententiâ non multum ab esse videtur Gassendus. Ita enim In Philos. Epicuri p. 1176. loquitur. *Dici quoq; potest (ignis fatuus)*  
mate-



materia absq; ardore lucens, praesertim si verum sit quod retulimus à Fluddo observatum; sic enim qui humor quasi eliquatur ex putrescentibus piscibus aliq; hujus modi lucent. Sed respondere possumus cum Senecâ lib. 1. quaest. natural. c. 15. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam ostendunt certaq; illis substantia sit. Idem è modò dictis liquet. Quod attinet observationem Roberti Fluthi Anglici Scriptoris, narrat eam Ipse Cassendus in Philosophia Epicuri p. 1123. Fluddus ait, senectū sequutum & assequutum ignem fatuum, adinvenisseq; illius materiam non igneam sed spermatis ranarum instar lubricam, viscosam, compactam & subalbidam quæ distingveretur nigris atq; exiguis maculis, quæq; quasi speculum quoddam reflecteret lumen stellarum. Sed ea tanta non videtur, ut possit hominibus sensibus suis ignem praesentem percipientibus contrarium persuadere: Nam. 1. de certitudine ejus ipse ambigit, nec veram eam affirmare audeat addit enim si verum sit. & p. 1173. sit penes ipsos (hæc narrantes) Fides 2. Ignem Fatuum Fuisse non incommodè negabimus cum Formondo Met. p. 35. ubi hæc verba. Adverte tamen multa sæpe haberi pro ignitis meteoris, quæ reverà non sunt: (quibus hoc ipsum Fluddi annumerat) sed vel corporea sunt suapte luce fulgentia, ut ligna pūtria, vel sideris alicujus reflectunt lumen, &c.

§. 3. Fatuus dicitur 1. à proprio suo incerto atq; instabili motu, non tamen propriè verum improprie & ἀναλόγως sicut prata ridere dicuntur, Nulla siquidem in ignem fatuum cadit fatuitas. 2. Ab effectu suo. Viatores enim incautos existimantes se in pago vicino candelam conspicerere per fenestram translucentem seducit ac in-fatuat; nonnunquam in avia secum ab ducit, aut in paludes præcipitat.

§. 4. Materia in qua est effluvium pingue ac sulphureum. Forma est Externa illa quam refert figura, huc pertinet saltus instabilis ille atq; erroneus motus, hoc ipso enim ab aliis meteoris ignitis distingvitur. Figurà quidem à Dracone, fulmine, trabe &c, motu vero ab igne lambente.

Theo-



Theorema. IV.

*Conspicitur plerumq; in locis palustribus, coemeteriis & Locis suppliciiis destinatis.*

ἐκθεσις.

Fit hoc ob exhalationum pinguium iis in locis copiam. Suum enim hic ignis sequitur, ut loquuntur, pabulū pingvem nempe atq; sulphuream materiā, qualis ex cadaveribus præcipuè humanis exhalat quam plurima, ideò ubi hæc sunt ibi neq; ignes fatui deesse possunt. Nec putandum hic cum Pontificiorum plebe fatuos istos ignes quia in iis locis ubi sunt cadavera hominum apparent, esse animas purgatorii; quæ vagentur circumdata & alligata hoc expiatorio igne; hi enim falluntur pessimè, cum naturales hujus loci dari possint & modo data sint, causæ. Nec obstat superstitiosorum hominum objectio; quod inderdum voces edant quia nec hoc causis suis naturalibus caret. Licet aliquando Dæmon ad fallendos homines cum igne fatuo se conjūgere possit &, vocem aliquam edere, flammam tamen ipsam aërem secando sibilum excitare, vel alia ad concitandum aliqualem sonum facere posse, quis negabit? Sciendum autem Flamulas istas apud nos rariones esse quā in Hispaniā & circa torridam. In Montibus Hispaniæ Fromondus tradit sæpe plurimos ignes fatuos simul videri, & in Æthiopia viatoribus campos totos nocte ceustellis nitere. Causa hujus latere haut potest; quoniam non tantum in calidis illis terris facilius accenduntur, sed dicta etiam loca pingvi materiā abundare notum est, ut patet etiam ex fructibus Hispaniæ: ad hæc in montibus metalli fodinæ plerumq; esse solent, ibi etiam sulphuræ materiæ maxima est copia.

Theore-



Theorema V.

*Draco Volans est meteorum ignitum Draconis Volantis  
speciem exhibens.*

Ἐκθεσις.

§. 1. Draconis nomen à Figura atq; formâ externâ huic meteorò impositum est, Draconis enim figuram quodammo- do refert. Volans dicitur à Motu quo de loco in locum volare videtur. Dicunt quidam repelli à nubibus in quas magno conatu incurrat. Verum durities nubium non est tanta ut ignem ascendentem retorquere deorsum tamvalidè possit. Causâ interim hujus motus hæc dari potest. Ignis ob levitatem suam sursum tendit effluviâ verò crassiora deorsum trahunt. Cum autem hic neutrum adeo superet ut simpliciter vel ascendere vel descendere possit Draco volans, ideò in medio quasi pendens vel à ventis vel alio quopiam propellitur. Num dentur autem veri Dracones volantes in mundo nostrû hic non est disquirere. Potest enim meteorum hoc ita dici, licet non dentur in mundo, siquidem necessarium non est, ut quia Draco ab animali illo dicitur etiam volatus ejus ab eodem denominetur. Sicut stella cadens à Figurâ dicitur stella, à motu cadens. Affirmat autem Fromondus Meteorol. p. 42. ita scribens alati quidam sunt (Dracones) & volant quanquam Cardanus l. 7. c. 29. Variet. scribat, se Lutetia quinque vidisse bipedes, alis exiguis, ut vix, inquit, volare crediderim, caput parvum, & serpentum capiti simile, color lucidus plumæ nullæ, nec pili. Magnitudo ejus qui alios præcelebat cuniculi. Sed hi Dracunculi tantum erant. Item Doctiss. Lagus Met. p. 40. ubi inquit: Alati autem licet non sint omnes Dracones, sunt tamen multi.

§. 2. Materia in quâ Est effluvium pingve & sulphureum, partes tamen habens dissimiles quia ita dispositum & accensum causa est, ut meteorum hoc Draconis referat speciem. Forma ejus quâ ab aliis meteoris ignitis distinguitur, potissimum consistit in externâ ejus quam refert figurâ. Sicut enim

B

alia



alia meteora, vel loco, ita nubes à nebulâ; vel motu ita ignis fatuus à lambente, vel alio accidente differunt, imò nullum meteorum aliam agnoscit differentiam præter accidens aliquod, quo ab illis quæ idem effluuium pro subjecto habent discriminatur. Ita in hoc meteoro est Figura & forma externa Draconi non absimilis quæ istud à meteoris aliis ignem pro subjecto agnoscentibus distinguit. Eadem huic meteoro peperit nomen. Fieri enim plerumq; solet, ut multa & præsertim meteora hæc nomina sua sortiantur ab illis rebus, quibus ab aliis differunt. Sic ignis fatuus dicitur à proprio suo. Ita Trabs à figurâ suâ quâ ab aliis discernitur, ita pleraq; alia meteora ignita.

## SECTIO POSTERIOR EROTEMATICA

### Erotema I.

*Quid accendat Meteora ignita?*

Ἐπίλυσις.

Meurerus Meteorologiae p. 106. Accensionis hujus Triplicem ponit causam efficientem. 1. Remotam, 2. Propinquâ, 3. Adjuvantem, Et explicat his verbis: *Remota est Sol & reliqua stella, quæ suis radijs aperiunt terra foramina, & evocant vapores & halitus, & sursum educunt. Propinqua causa accendens habitus est æstus supremæ partis aëris quæ calidissima est, itaq; amplius calefacit, attenuat & rarefacit halitus, & eas accendit. Adjuvans causa est. Motus & agitatio halituum, dum enim hæc atq; illuc agitantur incallescunt amplius, & mutuo attritu aëris & halitus sicci fit inflammatio. Addit tandem Causam etiam accendentem per accidens, Frigus circumstantis, & urgens halitum inclusū. Cum enim circumstet frigus, inquit, & vehementer stringit, urgetque vaporem, exspiratio vapore conclusa resistit majoribus viribus insurgens, ut se contra hostem tueri & ab interitu vindicare possit amplius incallescit, ac tandem vi erumpens accenditur & rupto vapore exsilit: Ita frigus eventu potest incendere. Primam quod attinet causam quam remotam Meurerus appellat, concedimus quidem solem atq; alias stellas posse meteora ignita vel materiam eorum potius accendere, sed non eo modo, quo id fieri*



id fieri arbitratur Meuserus, Licet evocentur è terrâ halitus, licet educantur sursum, nunquam inflammabuntur nisi adfit ignis & sulfur. Quid igitur opus ut sursum educantur propterea ut ibi accendantur, cum etiam in his locis terræ proximis sint igniculi quam plurimi, sulfuri conjuncti, ipsa quoque corpora mista in se plurimum ignis sulfurisq; continent, qui congregati materiam ignitorum meteororum accendere possunt. Dicimus itaq; solem fieri causam accensionis hujus eodem radiis suis atomos sulfureas extrahit ut flamma fiat visibilis. In secundâ ratione falsam judicamus præsupponi Hypothesin, de igne sub concavo Lunæ contento, qui subjectam aeris propinquam spheram, tum vicinitate suâ, tum motu illo circulari fictitio, magis calefaciat, ut hinc suprema aeris regio calidissima evadat. Quam exempla montia altissimorum, eorundemq; cacumina frigoribus perpetuis ac nivibus obsita efficaciter refellunt. Et ponamus ibi æstum aliquem, non tamen accensio præterea consequetur, nisi sulphur etiam ipsum adfuerit, quod hospitio suo igniculos plurimos complectitur.

3. Motus in excitandâ flammâ potentiam & efficaciam omnino fatemur sed quis credet illud fieri propter mutuum attritum aeris atq; halitus sicci. Respicit hic, opinor, ignis ex Chalybis atq; silicis attritu excussionem ubi atomi ligatæ percussione & allisione solvuntur. Sed hæc affirmare de aere & sulphureâ hæc materiâ non possumus. Aer cedit, nec adeo durus est ut fieri possit tantus attritus, qui ignem excitet, idem neq; patitur effluvium, ut terra de eo dici possit durities. Per causam accendentem per accidens, (ut breves simus) nihil aliud intelligit quam ἀντιπρῆξιαν. Cui adstipulatur quoque Doctissimus Lagus Met. c. 2. præc. 1. ubi inquit per accidens inflammationem promovet ἀντιπρῆξιαν. Sed quod de ἀντιπρῆξιαν dicit Excellentissimus Dn. Sperlingius Inst. Phys. p. 777. idem & hic applicare haud incommodè possumus. Valde sanè, inquit, metuo ne decantata diu ἀντιπρῆξιαν nil nisi digener cerebri humani sit proles. Eam enim contrariorum intensiorem detestatur ratio, negat experientia. Ad illa, cum inquit,

B 2

resistit



resistit majoribus viribus insurgens, item amplius incalescit. Respondere possum itidem Verbis modo Laudati Dn. Sperlingij d.l. *Seipsam qualitas si auget, idem sibi ipsi fert suppetias: idem sibi dat illud, quo destituitur planè. &c. Si autem frigus porrigit novum calori gradum, quomodo pro conservatione hostis sui laborat Frigus? Ab uno autem horum augeri calorem necessum est, si augetur ob ἀντιθέσειν.* Nobis una accensionis causa sulphur est, quod ubiq; ad flammam concipiendam, alendam atq; augendam necessarium tanquam subjectum patiens. Agentia verò externa plura & varia subministrari possunt; Cum non flamma saltem flammam gignat sed modo contactu & attritu corporum inflammabilium, modo agitatione & motu continuo, modo affusione aquarum; modo reflexione radiorum solarium incendia exoriri natura doceat.

Erotema II.

*An Cometa sit meteorum ignitum?*

*ἐπίλυσις.*

Cometam esse meteorum ignitum putavit Aristoteles & qui eum sequuntur. Interpretes, multi item Physici, & ex Mathematicis nonnulli. Nos cum in naturâ contrarium videamus, idem etiam Magnorum virorum experimenta & ratione evincant, negamus, & stellas esse licet extraordinarias asserimus. Pro assertione nostra hoc facit argumentum:

Nullum meteorum ignitum apparet in æthere supra  
Spharam Lunæ

Omnis Cometa apparet in æthere supra Spharam Lunæ  
E. Nullus Cometa est meteorum ignitum.

Major manifesta est, omne siquidem meteorum ignitum generatur in aliquâ aeris regione, nec ullum supra aeris regionem supremam elevatur. 2. Meteora ignita ex effluvio sulphureo accenso oriuntur, quomodo autem effluvia ex his inferioribus

oribus



oribus locis ad loca usq; illa altissima ascendere poterunt. Quod absurdum etiam videtur Viro Doctissimo Joh. Gerhar- do Volffio de Idol. p. 772. Sed id non aq; credibile, inquit, de co- metis nullam habentibus parallaxin ac supra solem pene ad firma- mentum evectis. Nam ut fumi (quos ipse horum Meteororū ma- teriam statuit) eā celeritate ascenderent è terrā, qua globus fertur bombardā explosus, non nisi post 90 annos, vel juxta alios centum & duos ad firmamentum pervenirent. Pro minoris ergo proba- tione laborandum. De illā inquit Ipse Fromondus Meteorol. p. 88. eam à Mathematicis, & præsertim Tychone & Kep- lero, sic probatam (de quibusdam tantum quidem ipse lo- quitur sed Tycho de omnibus probavit) ut pudeat non crede- re. De cometis autem propriè dictis hic loquimur, & sic ex- cludimus Novam illam stellam quæ Magis apparuit gladium item qui anno integro impendit Hierosolymis, aut alia quæ- cūq; phænomena, quæ inter propriè dictos planetas numera- ri haud possunt. De illis (non de his) affirmare, & firmis rationibus probare possumus, omnes in æthere suprā Lunam existisse. Argumentari autem pro hâc assertionem possumus potissimum ex Parallaxi. Certissimus enim est Mathemati- corum Canon. *Φαινόμενα* quæ terræ sunt propiora, eò majores semper habent parallaxes, quo verò remotiora eò minores. Hanc si ad cometas applicamus, conclusionem habemus cer- tissimam; de cometa enim anni 1607. ex propriis observatio- nibus probavit Celeberrimus Vir Christianus Longomonta- nus, In appendice Astr. Danicæ de Ascititiis cœli Phœnomenis p. 29. & 30. ipsum minorem quam Luna habuisse paralla- xia. De Cometa autem Anni 1618. ipsum infrā perigæum orbis veneris in cœlo fuisse locatum, & Lunæ maximam à Tellure distantiam quasi quater superasse probavit non Lau- datus modo Longomontanus, sed etiam Petrus Crügerus, & alii qui de cometa illo scripserunt. Hac contrā illos qui A- ristotelem secuti cometas omnes in suprêmâ aeris regione ge- nerari putant. Sunt tamen qui quosdam quidem cometas in æthere generari concedunt, de omnibus autem id affirma-

Matth. 2.  
Josephus l. 7.  
Bello Jud. c.  
44.

Exc. Nott-  
nagelius Syn.  
Matth. p. 341.





re nolant, sed rationibus pro contraria sententia pugnant. Ex quibus sunt Vossius *Idol.* l. 3. p. 772. ubi id credere durum esse dicit; & Fromondus qui affirmare id pertinaciam appellat. *Meteorol.* l. 3. p. 101. Hos etiam refutare possumus argumento ex parallaxi eisdem desumpto. De quo ipse Fromondus *Meteorol.* p. 88. illud validissimum est, & sine quo fortasse, alia contemni aut eludi possunt. Observarunt præter Nobilissimum Tychonem de Brahe Rothmannus, Mæstlinus, Hagecius, Diggesæus & alii in Astronomicis exercitatissimi viri & demonstrarunt omnes cometas ab Anno 1577. vel nullam vel longè minorem quam Luna habuisse Parallaxin; Ex quibus Cometa anni 1580, 1585, 1596, etiam illi quos quidam è dubiis observationibus infra Lunam existisse demonstrare conati sunt. Ex antiquitate etiam præstò sunt Testimonia, quorum tria recenset Doctissimus Vir juxta & Mathematicus insignis Petrus Crügerus in Tractatu de Cometa. anni 1618. Nec contrarium exemplum, vel ex his qui hodiè videntur, vel ex antiquis temporibus visis & propriè dictis cometis produci potest. Objiciant licet hic phænomena aliqua quorum alia cometas haud fuisse, aliorum splendorem tantum id quod cometis ascribitur peregrisse, alia cometis haud convenientia fecisse, per medium illegitimè dispositum tantum visum esse, ex diligenti consideratione verborum apud illos autores quorum testimoniis hæc probantur constat. Adjiciant his cometam Anni 1475, item 1532. quorum alterum Regiomontanus, alterum Vogelinus sublunarem fuisse probarunt: Sed è dubiis observationibus. Licet enim celebres fuerint Mathematici, tamen vel ob instrumentorum accuratissimorum (qualia requirunt hæc observationes) defectum, vel aliam ob causam, errare potuerunt. Errorem hunc luculenter & minimè dubiis rationibus ostensurum se promiserat Tycho; sed obitus ejus impedit. Fecit verò id ipsum Petrus Crügerus in suo *Vranodromo Cometico*. Addere Possemus etiam rationes Physicas quæ cometas è meteororum ignitorum numero excludunt, quoniam verò vel data de parallaxi ratio sufficere potest, uni-



est, unicam tantum annectemus, à Duratione & præcipue mō-  
 tus regularis circulo maximo perfecte subordinati. Quam hoc  
 naturæ meteorum ignitorum contrarium sit notissimum est.  
 Quis unquam meteori accensi Flammam per mensem aut se-  
 mestre spatium ardentem vidit? Quomodo fieri posset cum  
 tot halitus jugiter summam aëris regionem incurrant, ut non  
 frequenter vibrent (sunt Verba Fromondi) & fluctu etiam  
 aliquo jactent, cometasque aëreos circulo incepto depellant.  
 Idem absurdum videtur Excell. Dn. Sperlingio. Cujus hæc *Inst. Phys.*  
 verba. *Quis credat cometam per Sex aut 7. menses imò per inte-* *p. 543.*  
*grum annum in Elementari regione, per nova materia jugiter as-*  
*censa successionem tam regulari & constanti moveri motu?*

Exotema III.

*Qua sit causa Instabilis atq; erronei ignis Fatui  
 motus?*

Ἐπίλυσις.

Malos genios in perniciem mortalium aliquando hunc  
 ignem dirigere & præsertim illis, qui ad conspectum hujus  
 ignis consternantur admoveere ut timorem augeat non nega-  
 mus, quod etiam factum esse sæpius audimus, & Exemplum  
 narrat Fromondus Met. p. 37. Affinem suum Haecuriam no-  
 ãte tendentem medio campo pervolasse subito tres quatuorve  
 fatuas faces. Pertè irritum autem abjecisse se illicò in terram,  
 permansisse autem illas uno aut altero passu ab eo distantes fi-  
 xas atque immobiles, cum a. diutius terræ inhæreret & invo-  
 caret DEI opem absiliisse inde dimidio amplius milliari, Tū  
 furrexisset cum quasi liberum, sed eum vix duos aut tres passus  
 confecisset revolasse faces & cinxisse ut prius. Ibi ipsum majori  
 terrore in terrā cecidisse & Divinū auxiliū tamdiu implorasse,  
 donec sine reditu aufugerent. Quod absq; mali alicujus  
 genij directione factum esse, vix credibile est. Ignem tamen  
 fatuum



fatuum semper à Dæmonibus regi, ita ut motus iste erroneus  
ipsis tanquam ordinariis causis adscribendus sit, nequaquam  
affirmamus: Hoc ergò remoto sequentes ponimus causas, 1. Est  
materia interrupta & non contigua; Quærit enim atq; sequi-  
tur ignis suum pabulum, hoc ubi invenit, eò vergit, sicut in  
candelis atque igne nostro culinari videmus flammam ali-  
mento suo absumpto ad proximè ad motam materiam tran-  
silire. 2. Est ventus huc atque illuc propellens. Sicut enim  
alia leviora à ventis variè agitari, ita etiam ventis ignem hunc  
cum levi suâ materiâ propellere facillimè potest, ut jam ad  
dextram recedat, jam ad sinistram, interdum elevetur, mox  
rursus deprimatur.

Erotema IV,

*Quomodo differat ignis Fatuus ab Helenâ Casto-  
re & Polluce?*

Ἐπίλυσις.

Opinantur multi non differre inter se hos ignes præter-  
quã loco, sicut nebulam dicimus differre à nube, ita ut si fax  
ista conspiciatur in terrâ sit ignis Fatuus, in mari a., Helena  
vel Castor & Pollux. Ita Fromondus Meteorol. p. 38. ait: *Tres  
istos ignes (Helenam Castorem & Pollucem) Solus loci situs à  
fatuo distingvit, hi enim terra, illi mari impendent addit: unde  
aliquis è fatuo & ambulone sexum mutabit, si ventus è terrâ in ma-  
re eum exhibet.* Sed ut brevibus expediamus, assumamus  
tantum proprium ignis fatui, illud enim ut in aliis, ita etiam  
hic ignem fatuum cujus est proprium ab aliis distingvit. Pro-  
prium illud est motus instabilis, quo nunc elevatur nunc de-  
primitur, nunc homines antecedit, nunc sequitur, nunc ad  
latus resilit. Hæc de Helena aut Castore & Polluce dici non  
possunt. Nec si pellatur à vento in mare proprium hoc suum  
depo-



deponet & Helenæ assumet. Quamdiu autem proprium  
suum retinet, tamdiu etiam illo ipso ab aliis ignitis meteoris  
distinguitur. Et sic non solo loco.

Erotema V.

*An Draco Volans sit ipse Dæmon?*

Ἐπίλυσις.

De Paracelso notum est, quod putaverit Draconem hunc  
animal esse igneum, natum in elemento ignis, ut muscas in aë-  
re, pisces in aquâ, vermes in terrâ, tribuisse etiam ipsis vitam  
brevem, ut Salamandris genitis sine semine è putrefactione  
sulphuris ardentis. *Quod quidem* (ut loquitur Doct. Lagus in  
Met. sua) *paradoxologo tanto dignum dogma vel recitare, est re-  
futare.* Sunt tamen etiam è plebejis præsertim, non pauci,  
qui quidem non animal igneum, sed Dæmonem  
ipsum assumpti substantiâ ignis, & figurâ Draconis es-  
se opinantur, & quoties Draconem hunc vident  
non meteorum se videre, sed Dæmonem ipsum adesse putant,  
cujus item tectis incubare cernunt, conjurationis cum Diabo-  
lo incusant hospitem. Ajunt præterea Obligari conjuratos,  
ut lac moderate calefactum ad illius adventum apponant;  
Quod si id non sit moderatum, sed vel calor vel frigus abun-  
det, Dæmonem indignabundum iterum auferre quicquid at-  
tulit, vel ædes conjuratorum accensas in cineres redigere. Sed  
fabulosa hic multa, falsa etiam, Interdum quidem Dæmo-  
nem cum hoc meteoro se conjungere, in motu gubernare, &  
nonnihil bonorum conjuratis suis adferre non negamus, de  
cultibus etiam dæmonibus præstandis vera quædam esse expe-  
rientiamq; testari non admodum inficiamur. Verum sem-  
per à Dæmone regi atq; obsideri hunc Draconem affirmanti-  
bus, & omnes naturales causas denegantibus, Item hospitem  
cujus ædibus vel canimo Draco hic insidet, semper Diaboli  
conjuratis annumerantibus aperè contradicimus. Habet e-  
nim causas naturales, quas suprâ probavimus, nec opus est ut  
à Dæmo-



à Dæmone ita hunc ignē assumi, & in aere moveri fingamus, licet etiam ædibus nonnunquam adhæreat, etiam ibi non desunt certæ causæ. Vel enim pondere suo in tecta deprimi, vel vento devehî in tecta ædium potest. Cur autem camino incubet res manifesta est. Unionem amat natura, cum autem fumus è camino prodit plurimos in se continet igniculos, quod ingens calor testatur, quibus Draco sese conjungere & conglutinare amat. Ridiculum sanè foret, nec ullâ refutatione dignum, si quis omnes homines malos genios esse affirmare velit, idè quia experientia testetur, eos nonnunquam speciem humanam assumere, aut cum cadaveribus hominum sese conjungere. Si alia meteora ignita accendi possunt & in aere moveri, quare idem Draconi huic denegatum esset? Sed quoniam hæc manifesta sunt, nostrum etiam est naturalem Draconem hic considerare potius, Nolo uberius hæc deducere.

Erõtéma VI.

*Unde meteoro huic Draconis forma?*

Ἐπίλυσις.

Veri atq; viventis Draconis forma externa oblonga est, tumente alvo, capite & caudâ gracili. Ita Scaliger Exercitatione 183. sect. 9. de montis atlantis draconibus. *Solo contactu Draconis Atlantis montis interficiunt. Capite sunt & caudâ gracilissimi: alvi tanta vastitas, vix ut reptioni sint habiles.* Hujus imaginem in Dracone volante aliquo modo repræsentatam cernimus. Sed quæritur quanam hujus rei sit causâ, cur non aliam, vel rotundam, vel triangularem, vel quadratam, vel equi vel Leonis potius quam hanc referat figuram? Si enim causa est materia, cur non ignis fatuus, Trabs, & scintillæ volantes in eadem conspiciuntur figura, siquidem ipsis aq; ac Draconi volanti materia ex quâ, est effluvium pingve ac sulphureum? Si efficiens quare illa quæ ab eodem accenduntur  
ignita



ignita meteora aliam figuram habent? Respondetur un-  
verbo. Utrique causa hujus est materia, certo tamen modo dispo-  
sita. Effluvium enim ex quo accenso Draco volans oritur  
partes habet non uniformes: quædam sunt crassiores quædam  
graciliores, ideoque cum accenduntur etiam flammam præbent  
non uniformem, sed ubi materia est crassior latiorem atque  
majorem ubi gracilis minorem & ita facile figuræ Draconis  
hoc meteorum simile apparere potest. Eruditè hæc de re lo-  
quitur Excellentissimus Dn. Sperlingius Præceptor Meus o-  
mni observantiâ dignissimus Inst. Phys. p. 906. & 907. *Cum*  
*effluvium quod accenditur, inquit, partes habet dissimiles, quarum*  
*media densiores, extrema subtiliores sunt Meteorum veneficorum Dra-*  
*coni simillimum oritur. Illa nepe ventrem, hæc caput & caudam represen-*  
*tant.* Quod autem ignis fatuus ob eandem materiam non  
etiam eandem obtineat figuram, causa est quia materia aliter,  
& ad flammulam talem aptè est disposita. In Trabe causa est  
materia longior instar columnæ & pyramidis. Item quod  
in scintillis volantibus, à Draconis longè diversa observetur  
figura, facit effluvium divisum & in multas minutasque par-  
tes dispersum. Quomodo enim materia cum accenditur in-  
venitur disposita, talem etiam habet flammam. Hæc  
Secundum institutum nostrum de duobus meteo-  
ris ignitis igne Fatuo & Dracone Vo-  
lante.

SOLI DEO LAVS, HONOR  
ET GLORIA.

Ad





Ad

Autorem Disputationis Eruditissimum,

**N**aturæ varias facies & mille Figuras  
Ac ostenta DEI sublimi indagine mentis  
Dum lustras, fatuos ignes, quæis sæpè viator  
Luditur, horribilisque volabile phasma Draconis,  
Et nunquam terris spectatum impune Cometam,  
Præstans HENTSCHELI, veluti rem Numinis alti  
Sic agis, ellogioq; vehis, sic prosperet ipsum  
Has aliasq; tuas operas, quò faustiter omnes  
In Patriæ vergant usum, propriamque salutem.


M. SAMUEL POMARIUS  
Collegii Philos. Adjunctus.



**Q**ui fatuos ignes sapienti lumine cernis;  
Imodo latus iter, non vada cæca petis.  
Ut Draco sublimi formetur in æthere nosti;  
Te quoq; sublimem Fama per astra veher.

*Amitino suo  
fecit*

VALENTINUS ARNOLDI  
Lesnensis è Majore  
Poloniâ.





WEITENBERG, Diss. 1652

ULB Halle

3

002 716 461



TA 30L

VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

A. 1652 8.  
OROLOGICA II.

4.22/0  
11  
12

# ORIS IN GE-

E,

CIE

DRACONE VO  
E.

*cis Albim*  
E

## POMARIO,

HICI ADJUNCTO,

*it publica*

L Lesnensis è Maj. Pol.  
pondens.

*In Auditorio Minori.*

Anno M C D LII.

